

I. O. Slangendorp

De unico Christi Sacrificio.

Hafniæ 1591.













BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS



DE VNICO CHRISTI SACRIFICIO EIVSQVE PROFANATIONE,

in Missa priuata Papistica,

THESES

THEOLOGICAE ET INAVGVRALES,

DE QVIBVS IN Regia Academia Hafniensi, præside IOHANNE OLAI SLANGENDORPIO, Professore Theologiæ, ex voluntate & decreto Sereniss: Electi Regis CHRISTIANI IV. ac Illustrium Proregum, confessionem suam, pro supremo in S. Theologia gradu consequendo, editurus erit

REVERENDVS ET CLARISS: vir, Dn. M. PETRVS VINSTRVPIVS Ecclesiarum Sielandicarum Episcopus vigilantissimus, die Iulij xxi.



HAFNIÆ

Ex officina Matthiæ Vinitoris,

Anno 1591.



CAtharinus Archiepiscopus Compsanus, prolixo libro Romæ anno 1552. cum priuilegio Papæ Iulij Tertij, pro sua Missa edito, blasphemè contendit paßionem CHristi expiare tantùm originale peccatum, & ea actualia, quæ ante Baptismum ab homine admissa sunt: reliqua verò omnia, quæ sequuntur, non iam per illud sacrificium, sed per Missam expianda esse. Quare placet hac vice de Sacrificio CHristi & eius profanatione, nempe solitaria Papistica Missa instituere collationem, vt ita Monachorum effrænatæ debacchationes tanquam in gyrum accuratæ & Theologicæ disputationis ducantur, & vt iuniores ex his paucis Thesibus & earum defensione discant, quid sentire debeant de Missa priuata, quæ æmula est & adultera perlitationis CHristi, tum Cœnæ Dominicæ, & quâ nihil fœdiùs aut horribiliùs excogitari poßit. Itáque hoc tempore, paucis præmißis de sacrificijs in genere, imprimis CHristi Sacerdotio & Sacrificio vnico & sufficientißimo solidè demonstrato, de erroribus qui sunt in substantia solitariæ Missæ, CHristique Sacrificio repugnantibus & manifestè contradicentibus, quædam dicemus, atque ita cognitis erroribus, summa cum reuerentia CHristum pro nobis crucifixum adoremus, vt eo solo Sacerdote freti, illiusque sacrosancti Sacrificij, quod semel in cruce factum est, memoriam non ex hominum institutis, sed puro Dei verbo purè celebrantes, virtutem

eius perpetuam sentiamus, atq; inde æternæ felicitatis hæreditatem, summâ & gratuita DEI liberalitate ac misericordia consequamur &c.

II.

Ne autem quid insidiarum lateat in vocabulo Sacrificij, diligenter nobis illud vocabulum excutiendum erit. Nam quantum hinc fallere conentur Pontificij, ex scriptis eorum est manifestum.

III.

Propria ergo & primaria acceptio vocabuli SAcrificij est, vt significet sacram actionem, quâ res aliqua externa offertur & consecratur DEO, in eum finem & ijs ritibus, qui sunt ab eo instituti. Verùm ex hac primaria significatione, altera (vt ferè fit) per similitudinem deriuata est, quâ spiritualis & interior DEI cultus, atq; ipsa charitatis & pietatis officia, sacrificia dici solent. Itaque ne nobis imponat Homonymia vocabuli, hæc distinctio necessariò præmittenda erit.

IV.

Sacrificium aut propriè dici, atq; ita significare prius illud reale: aut figuratè, & tunc posterius hoc sacrificium denotare, quod suo loco dicemus ad spiritualem DEI cultum & ad vitæ sanctimoniam pertinere. De priori nobis & non de posteriori instituta est disputatio.

V.

Itaq; cùm sacrificij vocabulum, in ea tantùm significatione, in qua extat in Scriptura, vsurpari debeat, rectè

& piè Sacrificium definitur in hunc modum. Sacrificium externum propriè dictum: Est sacra ceremonia à Deo instituta, quâ pios Maiores vti voluit ante aduentum CHristi, vt ea ratione tum ad pœnitentiam, tum ad fidem ipsius CHristi venturi (cuius externum sacrificium typus erat) excitati, cultum DEO gratum acceptumq́; exhiberent.

VI.

Quanquam multæ olim ac variæ fuerunt Sacrificiorum species (vt patet ex libris Mosaicis ac præsertim ex Leuitico) duplicia tamen nobis à sacra Scriptura proponuntur: Typìca seu Leuitica veteris Testamenti, & vera ac realia noui Testamenti.

VII.

Leuitica quæ à DEO per Mosen in Politia & Ecclesia gentis Israëliticæ fuêre instituta, & ab Aarone, eiusq́ue successoribus oblata, de quorum fine postea dicetur.

IIX.

Vera iterum sunt duplicia: Ἱλαστικὰ id est propitiatoria, & Ἐυχαριστικὰ id est gratiarum actiones.

IX.

Ἱλαστικὸν est opus, quod meretur alijs remißionem culpæ, & pœnæ æternæ: Seu opus placans iram Dei pro alijs, & satisfactorium pro culpa & pœna æterna.

X.

Ἐυχαριστικὸν est cultus vel opus à DEO mandatum, quod fit in fide à reconciliatis, vt pro acceptis beneficijs

DEO gratias agamus, seu referamus gratiam hac nostra obedientia, quò DEUS honore afficiatur.

XI.

Leuitica itaq́; sacrificia fuerunt oblationes pecudum, placentarum, panum, frugum, vini, olei, thuris, thimiamatis. Hæc & multa alia extant magna ex parte in Leuitico descripta: vt holocaustum pecudum cap. 1. oblationes ex farina, simila, placentis, granis, cap. 2. pacifica vel prosperitatum, aut gratiarum actionis. 3. pro peccato. 4. & ita consequenter.

XII.

Causa horum sacrificiorum efficiens DEus ipse est, sicut Moses paßim, præcipuè verò in hoc eodem Leuitico, præfatur: Locutus est, inquit, Dominus ad Mosen, dicens: Loquere filijs Israël & dic ad eos: Homo qui obtulerit hostiam Domino &c: Organica verò Moses, qui iuxta DEI mandatum & reuelationem, plures & diuersas species in ordinem redegit: Deinde & Sacerdotes offerentes & ad hanc actionem diuinitùs instituti.

XIII.

Fines & vsus multi fuerunt. Etenim DEus sacrificia & mactationes pecudum, in hunc finem instituerat. 1. Vt quisquis peccauerat, admonitus de suo reatu, gemeret. 2. Vt tristi illo spectaculo magis vulneraretur eius conscientia. Quum videbat innoxium animal occidi ad altare, debebat horrere iudicium Domini. 3. Volebat etiam Deus

DEus exercere fidem omnium, vt confugerent ad expiationem quæ præstanda erat per Mediatorem promissum.

XIV.

4. Vt hoc modo Israëlitæ, gratitudinem suam erga Deum, propter accepta ab ipso beneficia, declararent. 5. Faciebant & ad conseruationẽ Sacerdotij. 6. Nerui erant publicorum conuentuum, quibus conseruabatur cultus & doctrina cœlestis in hoc populo à Deo tradita. 7. Typi item erant verorum & internorum cultuum, vt alia omittamus breuitatis gratiâ.

XV.

Principalis autem finis & scopus omnium Sacrificiorum ex superioribus colligitur, nimirum vt essent typi & vmbræ, vnici & verè propitiatorij sacrificij CHristi, qui se victimam pro peccatis humani generis obtulit æterno patri, cruentam, vnicam & immaculatam.

XVI.

Quare vt iam tandem ex his generalioribus, ad id quod instituimus præcipuè disputandum & probandum, tum quod ipsi contradicit refellendum perueniamus, nempe vnicum Sacerdotium & Sacrificium CHristi, sententiam nostram de eo hac propositione explicabimus.

XVII.

Christus est solus Pontifex ac veré Sacerdos noui Testamenti, & eius sacrificium semel in cruce peractum, est vnicum propitiatorium pro peccatis, idq́ hac inuictissima demonstratione confirmamus.

XIIX.

Quem

Quem Scriptura dicit fuisse veteris Testamenti Sacerdotibus sacrificijsq́ adumbratum, & nouissimis temporibus (veteris Testamenti Sacerdotio sublato, & ceremonijs abrogatis) noui Testamenti Mediatorem & Pontificem exhibitum: Seipsum semel in cruce obtulisse, & tradidisse se pro nobis oblationem & victimam Deo: & factum esse Sacerdotem simul & victimam, vt peccata nostra tolleret, & vnica illa oblatione eos qui sanctificantur in perpetuum consecraret: eaq́ hostia oblata, in perpetuum sedere ad dexteram Dei patris, non vt seipsum rursum offerat, sed vt prorsus eos seruet, qui per ipsum accedunt ad Deum, perpetuum habens Sacerdotium & semper viuens, vt interpellet pro eis, & vnici sacrificij semel in cruce peracti ac nunq̃ iterandi, perpetua perfectaq́ efficatia eos plenißimè Deo reconciliet, qui vera fide summum hoc beneficium recipiunt. Is est solus Pontifex, ac verè Sacerdos noui Testamenti, & eius sacrificium semel in cruce peractum, est vnicum & reale sacrificium in Ecclesia Christiana, idemq́ vnicum propitiatorium pro peccatis nostris. At Christum Scriptura dicit, fuisse veteris Testamenti sacerdotibus sacrificijsq́ adumbratum, & nouißimis temporib. (veteris Testamenti sacrificio sublato, & ceremonijs abrogatis) noui Testamenti mediatorem & pontificem exhibitum, seipsum semel in cruce obtulisse & tradidisse pro nobis &c. Ergo Christus est solus Pontifex ac verè Sacerdos noui Testamenti: & eius Sacrificium semel in cruce peractum, est vnicum & reale sacrificium in Ecclesia Christiana, idemq́ vnicum propitiatorium pro peccatis nostris.

In

XIX.

In hac demonſtratione omnia ſunt reciproca ex legibus & præceptis demonſtrandi. Nam CHriſtus eſt is, quem Scriptura dicit fuiſſe adumbratum legalibus Sacrificijs, & factum Sacerdotem ſimul & victimam &c: Ergo ſi argumentum retrò commeat, & CHriſtus ſolus ſit Pontifex & Sacerdos noui Teſtamenti, ſequitur ipſius ſacrificium vnum tantùm & reale eſſe in nouo Teſtamento, ac ipſum CHriſtum ſolum eſſe Sacerdotem noui Teſtamenti.

XX.

Ex propoſitione itaq; & eius demonſtratione ſequitur mendaciſſimum eſſe. 1. Quòd Pontificij per Miſſam ſuam Mediatoris officium inter Deum & Eccleſiam peragant. 2. Quòd in Miſſa offerant corpus & ſanguinem CHriſti. 3. Quòd opere oblationis huius, impetrent à Deo omnis generis bona & remiſſionem peccatorum tam mortuis quàm viuis.

XXI.

Hæc tria ordine examinabimus, quæ ſi poterũt authoritate verbi Dei firma reddere & authentica, nulla erit ratio ob quam Miſſæ ipſorum contradicetur: Sin minùs, Chriſtiani hominis erit, Miſſam ex animo reprobare, tanquam Diuinæ veritatis obſcuratricem: Itaq; primùm de mediatione hac ſacerdotali dicemus, quandoquidem in eo, veluti in ſubſtantia illius, propter quam reprobabilis eſt, exiſtit.

XXII.

Vt autem Pontificij primum obtineant, sanè cùm Scripturæ testimonijs esse se destitutos sentiant, ad veterum aliquot Doctorum authoritatem refugiunt, & noui Testamenti ipsiusq; CHristi administros, in antiquis concilijs & Patrum scriptis, Ecclesiasticisq; historijs Sacerdotes vocatos esse dictitant, quâ de re quosdam ex vetustioribus adducunt.

XXIII.

Ad hoc respondeo. Primùm, nos non nescios esse, ministros Euangelij sæpe à veteribus vocatos fuisse Sacerdotes, quum illi ad vetus Testamentum alluderent: sed nos vocabulum propriè vsurpamus, ac propterea dicimus Christum esse verè Sacerdotem, vt allusiones & similitudines remoueamus. Deinde hallucinationi patrum, fortaßis occasionem dedit verbi Dei aliqua præpostera lectio. Nam si hoc solum velut vnicum scopum spectassent, ministros verbi & Sacramentorum, nunq; Sacerdotes dixissent, sed Christum vnum, verum & solum Sacerdotem agnouissent, & quippe cœlitùs missum, qui numen cœleste placaret, quique quum hostiam innocentißimam, vt quæ in iniquitate concepta non esset, nec prauis affectibus quibus nos scatemus vitiata, obtulerit, pro reis facilè perlitauit sine vicarijs & successoribus.

XXIV.

Nullo igitur modo dogma de solo & pluribus Sadotibus sibi constare pronunciamus, quia solus Sacerdos &

plures Sacerdotes dicuntur contradictorié, vnde sic colligimus. Omne dogma quod secum pugnat, neq; poterit sine contradictione explicari, est ineptum & absurdum. At dogma de solo & pluribus sacerdotibus secum pugnat, neq; potest sine contradictione explicari. Ergo tale dogma est ineptum & absurdum.

XXV.

Maiorem citra controuersiam, vel ipsi Philosophi veram agnoscunt, quantò magis pij Theologi, qui norunt rerum sacrarum veritatem perpetuò συναληθεύειν, nihilq; continere quod repugnet? Minorem sic probamus: Christus vnicus est noui Testamenti Pontifex & Sacerdos, in quem translata sunt omnia Sacerdotia, & in quo clausa ac terminata. Ergo præter ipsum constat non esse Sacerdotes, qui tali oblatione apud Deum pro populo intercedant, aut qui propitiato Deo, peccatorum expiationem peragant.

XXVI.

Etsi Scriptura nihil de æterno CHristi Sacerdotio meminisset (cùm maximè eius meminerit) quia tamen Deus, abrogatis illis veteribus nullum instituit, manet inuictum Apostoli argumentum Heb. 5. Neminem sibi honorem vsurpare, nisi qui à Deo vocatus sit. Quâ ergo fiducia Sacrilegi isti, qui se iactant carnifices, quid dico Sacerdotes, audent se viuentis Dei Sacerdotes appellare? Quorum impura scortatio, perpetua inuidia & odium,

igna-

ignauißimum ocium & alia longè grauiora, quæ eos summa turpitudine infamant apud Deum & homines, mundo sunt notißima.

XXVII.

Itaq; cùm nomen Sacerdotis in Scripturis, tantùm sit fidelium & per aquam Baptismi regenitorum titulus, & tanquam hæreditarium ex Baptismo. 1. Pet. 2. Certè postquam error inualuit, oportere esse Sacerdotes qui pro populo sacrificarent, quasi relegata esset ad eos cœna, desijt iuxta Domini mandatum, fidelium Ecclesiæ communicari. Et aditus tantum Missis priuatis est patefactus, quæ excommunicationem quandam magis referrent, quàm communitatem illam à Domino institutam: quum Sacrificulus suam victimam seorsim voraturus, se à toto fidelium populo segreget.

XXIIX.

Quandoquidem ergo & legant & audiant (vti iam diximus) Hebr. 5. Apostolum dicentem, neminem sibi nomen & honorem Sacerdotij vsurpare, nisi qui vocatus est, vt Aaron: quin nec CHristum ipsum se ingeßisse, sed obedijsse Patris vocationi, aut Sacerdotij sui authorem DEum institutoremq; proferant oportet: aut honorem non esse à Deo fateantur, in quem non vocati improba temeritate irruperunt.

XXIX.

Sublatis ergo Sacerdotibus & Sacerdotio Papistico, ex diametro quoq; aufertur eius effectum & officium, nempe mediare & intercedere apud Deum pro populo.

XXX.

Etenim si qui noui Testamenti Sacerdos est, idem quoq; est Mediator noui Testamenti. At Christus est solus noui Testamenti Sacerdos. Ergo & solus Mediator. Sed antecedens verum. Ergo & consequens verum. Et ex vi consequentis reijcienda erit Missalis mediatio Sacerdotum rasorum & vnctorum.

XXXI.

Assumptum huius connexi hypothetici est doctrina Apostoli scribentis, Heb. 8. & 9. Christus excellentius ministerium sortitus est, quo præstantioris est Testamenti Mediator. Itaq; ob id noui Testamenti Mediator est, vt morte intercedente ad redemptionem earum præuaricationum quæ fuerant sub priore Testamento, vocati promissionem accipiant æternæ hæreditatis &c: Heb. 12. Accessistis ad noui Testamenti Mediatorem Iesum, & sanguinem aspersionis, præstantiora loquentem quàm loqueretur sanguis Abel. 1. Thim. 2. Mediator Dei & hominum, homo Iesus CHristus, qui semetipsum dedit redemptionis precium pro quibusuis &c.

XXXII.

Ex quibus perspicuum est, CHristum officio Mediatoris & Sacerdotis simul functum esse, atq; hæc duo in

Scriptura coniungi, vt necesse sit, eum qui noui Testamenti Sacerdos est, esse quoq; noui Testamenti Mediatorem. Vnde & firmum manet consequens superioris connexi. Nec enim Pontificij Sacrificuli, possunt esse verè Sacerdotes noui Testamenti, quin sint etiam (quod absit) Mediatores inter Deum & homines, ac proinde redemptores Ecclesiæ, quod falsissimum est.

XXXIII.

Clarum etiam est, mediationis officium non competere Sacrificulis Pontificijs, si ergo vsurpare sibi velint effectum, sanè oportet vt prius ipsi probent, quòd ipsi sint Sacerdotes. Nam nomen non solum, Sacerdotem efficit.

XXXIV.

Etenim si quis stupidus mendicus audiret Regem & Principes vicinos, habere populum & fines quibus dominentur, & ipsi etiam esset Regis vel Principis nomen impositum, vt sæpe fit, sequeretur ne mendicum propterea etiam habere fines & subditos quibus imperaret? Ergo cùm Scriptura non ferat externum huiusmodi Sacerdotium, quale olim fuit & sunt Sacrificuli nomine tenus Sacerdotes, non statim sequitur ipsos esse Mediatores aut hostias offerre.

XXXV.

Quare & sine negotio inanes illæ & vanæ tergiuersationes refelluntur. Nam quòd dicunt: Qua ratione posset durare Ecclesia CHristi, si non essent Presbyteri,

Sacerdotes, Episcopi, Pastores &c: quis errantes in viam reduceret? Quomodo cauerent Satanæ insidias? quis falsis Doctoribus resisteret? necessitate sequeretur confusio. Respond. Hæc enumerata officia docendi, consolandi, obiurgandi, monendi, adhortandi, cauendi per verbum Dei, verè propria esse noui Testamenti ministrorum: deinde Ecclesia CHristi, Pastores, Doctores, Episcopos & Presbyteros à CHristo & Apostolis constitutos agnoscit, sed illi non fuerunt Sacerdotes & Missarij Sacrifices, quales sunt in Papatu, per quos magna confusio & multi errores in Ecclesiam irrepserunt, omniaq; ceremoniarum numerositate, missando conati sunt efficere, cùm interea sanæ doctrinæ multis iam annis, magna fuerit penuria.

XXXVI.

Ex his perspicuum est, nostram & Papistarum sententiam contradictoriè opponi. Nos enim solum Christum noui Testamenti verè Sacerdotem esse affirmamus: illi non solum Christum agnoscunt noui Testamenti Sacerdotem, sed plures esse fingunt. Et vt illi non vnicum esse Sacrificium contendunt: ita nos vnicum illud Christi, reale esse pro peccatis Sacrificium ex verbo Dei statuimus.

XXXVII.

Tum etiam contra primum errorem satis euidenter intellectum iudicamus, quænam Apostolorum & verorum Sacerdotum oblationes sint: nimirum fidelis populus, quem ipsi

ipsi, Deo salutari doctrina adducunt, quare non cruentum aut incruentum Christi corpus & sanguinem, quemadmodum caro putat offerunt. Nam hoc esset iterum CHristum cruci affigere. Atq; hoc dictum sit de primo, sed de secundo iam dicetur.

XXXIIX.

Sequens locus & totius negotij summa in hoc posita sunt, quòd ipsi non dubitant dicere, se in illa Missa Christi corpus & sanguinem offerre.

XXXIX.

Sed an talis sit oblatio in Missa solitaria, Pontificij certa demonstratione & aperto Scripturæ quopiam loco disputare deberent, & probare ex ordinatione Domini: Sed in illa non est vnicum verbum, nullum prorsus exemplum quod pro causa ipsorum faciat. Iure igitur nos poscimus aliquem Scripturæ locum, quo dogmatum istorum fulciatur authoritas: Eam enim legem Augustinus sibi ipsi ac nobis indixit, vt quicunque tandem sit qui dogma aliquod proponat, non recipiatur, nisi illud hauserit ex sacrarum literarum fontibus.

XL.

Si illi per offerre acciperent commemorare & recordari, sicut etiam sonant & volunt verba CHristi, esset hoc fortè tolerandum, quanquam talis Gratiarum actio & commemoratio, non sit duntaxat ministro.

ministrorum, sed etiam totius Ecclesiæ, licet illi verba soli pronuncient.

XLI.

Interim si cœna Domini est instituta, vt in ea fiat commemoratio Sacrificij Christi: Certè in cœna Domini non fit ipsum Christi Sacrificium. Quantò igitur minùs in Missa? Antecedens verum est. Verum igitur & consequens: & ex vi consequentis Sacrificium Missæ reijciendum est. Connexum hypotheticum patet: quia rei commemoratio non est res ipsa: quandoquidem commemoratio necessariò rem antegressam significat. Assumpti quoq; veritas liquet expreßis Christi verbis: Hoc facite in mei recordationem: Et apud Paulum. Quotiescunq; ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciatis vsquequò venit.

XLII.

Nec multùm tergiuersatio hæc, causæ malæ patrocinatur, quâ dicunt CHristum voluisse Sacrificium suum repræsentari: non verbis tantùm, sed etiam simili quadam actione. Sic & inquiunt: Dominus liberationem primogenitorum, cõmemorari voluit oblatione primogenitorum. Adde festos dies azymorum & tabernaculorum, in quibus res anteactæ, rebus similibus in memoriam reuocabantur.

XLIII.

Respon. Non negamus quin in sacra cœna, mors CHristi nobis quodammodo ob oculos ponatur, tum Euange-

angelica prædicatione, idq; imprimis: Sic enim Paulus, Mortem Domini annunciabitis, tum etiam Sacramento. Huc enim spectat, fractio panis: sed quid hæc ad mutas Missæ ceremonias, aut ad ipsum Missæ Sacrificium quod proponunt? Error est τοῦ ἑπομένου, olim sub legis pædagogia Dominus certos ritus instituit, quibus maiorem nostri beneficiorum à Deo acceptorum memoriam renouaret. Ergo Sacrificium Christi, ipsius Christi sacrificio repræsentandum est. Respond. 1. Non valet consequentia à legis ceremonijs ad tempora noui Testamenti, quin potiùs videmus eò Christi instituta respexisse, vt quóad eius fieri posset, nos ab externis eiusmodi ritibus reuocarent. 2. Priscis illis temporibus ita faciendum esse, nominatim & certa lege cautum erat. At de Sacrificio externo in cœna Domini faciendo nullum vsquam verbum. 3. Nec ista ratio respondet eorum conclusioni. In veteribus enim ceremonijs, fuisse rerum præteritarum memoriam perspicuum est. Sed isti volunt Christi Sacrificium ipsius Christi sacrificio repræsentari, quod quidem non iam est similitudo, sed identitas.

XLIV.

Cæterùm an CHristus commiserit nobis offerre, anq; seipsum obtulerit in illa prima cœna, penitiùs adhuc introspiciemus ex prima ordinatione Dominicæ cœnæ.

XLV.

Cùm verba ad verba diligenter expendantur, cernitur

tur ex circumſtantijs cœnæ, quòd CHriſtus in cœna omni-no non Sacrificium obtulerit. Etenim 1. accipere & frangere panem, non ſignificat offerre. 2. Gratias agere non eſt ſacrificare, alioquin Chriſtus quinq; panes hordeaceos agendo gratias & benedicendo, & quinq; hominum millia cibando, etiam ſacrificium obtuliſſet. 3. Nec dare diſcipulis ad manducandum ſignificat offerre. 4. Nec hoc, facere in mei commemorationem & annunciare mortem Domini, offerre ſignificat. Vnde igitur veſtras rationes probabitis de oblatione in Miſſa? Ad menſam Domini accedimus ceu eſurientes, accipimus & manducamus credendo promiſſionibus, quomodo igitur nos damus aut offerimus? Deus nobis promittit, & nos ei dare conamur? Quæ eſt hæc inſania?

XLVI.

Si quis Rex cuipiam pauperi, loco arrabonis ſuum daret annulum, quòd deberet eſſe omnium bonorum ſuorum hæres, propter ſolam pauperis egeſtatem & ſuam miſericordiam, quam Rex cuperet prædicari, propter quam cauſam daret etiam annulum egeno, vt memor eſſet beneficentiæ ſuæ: Sed pauper annulum acciperet, vt Regi redderet, quo facto Rex paupertatis nomine notaretur, & pauper ille hoc munere placeret ſibi, quaſi Regem bearet, nonne hic eſſet mente captus? Sic nec nos Deo ſacrificium offerre poſſumus, quando nihil de ſacrificijs & oblationibus in mandatis habemus? Neq; Dominus vllam cauſam aut exemplum eiuſmodi rei fecerit. Sed

XLVII.

Sed fortè obijcient, poteſt aliquid ceu munus à Deo dari & accipi, & nihilominus poteſt etiam ſacrificium eſſe, ſicut in veteri lege erant ſacrificia dona Dei, tamen ſacrificabantur. Et ſpiritus contribulatus eſt donum Dei: fit tamen Deo ſacrificium. Vmbonem hunc vmbone excipio. Reſpond. Error eſt ἄγνοια ἐλέγχȣ. Nam ſi Deus præcepiſſet, vt nos fœderis noui homines certi eſſemus, quò ad ſalutem & fidem ex præceptis veteris legis, eſſet hoc aliquid: Sed interim nunc nihil ſcriptura veteris Teſtamenti de illo Papiſtarum ſacrificio dicit. Quare ſacrificium hoc abominatio & res intolerabilis eſt, pugnans cum Chriſti Sacrificio.

XLIIX.

Sequela probatur à diſcrimine Chriſti & aliorum Sacerdotum. 1. Sacrificuli ſunt mortales, Chriſtus eſt ſempiternus Sacerdos, ac propterea quòd vnicâ hoſtiâ ſatisfecit pro totius mundi omnibus peccatis. Ergo hoſtia illa habet perpetuam virtutem, modò credatur & annuncietur cum Gratiarum actione. Et per conſequens magna eſt ingratitudo dicere quòd oporteat alio modo etiamnum pro peccatis offerri Chriſtum. 2. Illi ſunt peccatores & polluti, Chriſtus eſt ſine peccato. Hebr. 7. Talis decebat vt eſſet nobis Pontifex, pius, innocens, immaculatus, ſegregatus à peccatorib. &c: & hic in cruce obtulit ſeipſum. Sed cùm nemo poterit tam purus eſſe quàm Chriſtus

Sacrificium ipſum. Ergo mors eius eſt tam perfectum Sacrificium, vt ſemel tantum oblatum in æternum à peccatis mundet, neq́ꝫ oportet repeti, vt legis veteris victimas expiationeſq́ꝫ. Atq́ꝫ inde videre licet, ſuperbiam illam Satanæ Luciferi, & Maieſtatis diuinæ læſionem & contemptum, quibuſcunq́ꝫ confictis commentis hoc excuſent.

XLIX.

Poſtremò in Sacrificio quatuor conſiderantur. 1. Cui offeratur. 2. à quo. 3. quid offeratur. 4. pro quibus. 1. Cui ſeſe obtulerit non eſt ambiguum, nempe Deo in odorem ſuauitatis. 2. A quo, ſanè non poteſt Chriſtus offerri à quoquam niſi à ſeipſo, propterea quòd ipſe eſt vnicus Mediator inter Deum & nos. Etenim non modò oblationem reconciliationis eſſe illum oportebat, ſed à nullo alio quàm à ſeipſo, tanquam ſummo Sacerdote offerri. Offerri inquam, quia non loquor ſimpliciter de traditione quâ traditus eſt à Iuda, Iudæis, Pilato. Sed de oblatione quâ obtulit ſemetipſum Deo Patri, tanquam Sacerdos, Mediator & ſaluator. Si ergo Chriſtus ſeſe obtulit & quidem ſemel. Et hæc ſit conditio Sacrificij Chriſti, vt ſemel factum conſummauerit, vt redemptionis: ita & reconciliationis opus. Quid opus erit repetere hoſtiam, iterumq́ue ſæpe offerre?

L.

Hoc enim facere haud aliter ſe habet, quàm ſi quis

in claro

in claro die aut Sole sereno, accenderet ex tæda lumen dicens: Quanquam Sol abundè clarè lucet: tamen quodam alio modo necessarium est & vtile vt lumen accedat. Et quispiam diceret: Quid quæso fallis teipsum? contemnis clarum Diem quasi Sol non sufficiat sine tuo lumine? Rursus autem responderet aduersarius: hoc modo non opus est vt aperiam oculos meos, videam & operer, quia dies est, & Solis splendor efficit omnia. Annon esset hæc stultissima comparatio? In negotio iam proposito prorsus res sic se habet.

LI.

Nam meritum Passionis Domini, est nobis tam sufficiens ac diues ad demittenda peccata & gratiam acquirendam, quàm Sol ad diem clarum reddendum: Papistarum Missæ, hostia pro peccatis (quanquam nulla esse potest) est similis lumini accenso in claro die, & infamat veram hostiam ceu imperfectam: & sicut diei beneficio cernimus: ita per cognitionem meritorum Passionis Christi, agnoscimus Dei erga nos bonitatem.

LII.

3. Sed quid obtulerit tum pro quibus, etiam omnibus notissimum esse arbitror. Etenim corpus & sanguinem suum tradidit Deo Patri hostiam sanctam & immaculatam. Et quidem oblatio CHristi pro peccatis nostris est facta, & per hanc illa nobis sunt remissa. Sic enim dicitur: Qui pro vobis & multis effunditur in remissionem peccatorum. Ergo impetrata semel

 pecca-

peccatorum nostrorum remißione, necessarium non est, vt oblatio Christi iteretur.

LIII.

Si ergo hodie sacrificandus esset Christus, id fieret aut vt satisfaceret pro peccatis nostris, aut vt eius satisfactio semel pro nobis in cruce facta, nobis applicaretur. Neutra ratione sacrificandus est. Nulla igitur. Et ex vi consequenti: Sacrificium Missæ reijciendum est.

LIV.

Connexum est perspicuum, nisi tertiam rationem Pontificij proferant, quâ doceant errasse vitio disiunctionis. At non possunt. Assumpti duo sunt membra. 1. Christum non esse sacrificandum vt satisfaciat pro peccatis nostris. Hoc confirmo ratione εἰς τὸ ἀδύνατον καὶ ἄτοπον *adigente. Nam si hodie sacrificandus est Christus vt satisfaciat Deo pro nobis. Ergo & hodie Christo patiendum & moriendum. Sed hoc absurdum. Ergo.*

LV.

Secundum membrum. Non esse hodie sacrificandum Christum, vt eius satisfactio semel in cruce facta nobis applicetur. Probatio. 1. Quia necessariò inde sequeretur implicatio contradictionis. Nam satisfactionis applicatio infert satisfactionem priùs factam. At isti volunt in ipsa applicatione faciendam. Repugnat autem idem esse faciendum & factum. 2. Si iterum sacrificari debet Christus, vt eius sacrificium semel factum nobis applicetur.

Ergo

Ergo simili ratione iterum incarnari debet CHristus, vt fructus eius incarnationis nobis applicetur. Sic quoq; debet Christus resurgere, vt beneficium resurrectionis eius nobis applicetur. Sed hæc absurda. Ergo &c. Itaq; satis euidenter ostendimus, non debere nos hoc pacto offerre, & hoc esse contra Dei præceptum, aduersus scripturam & gloriam Dei, quare & fundamentum nostrum manet inuictum.

LVI.

Sed nunc descendo ad tertium, vbi affirmant Missam impetrare omnis generis bona.

LVII.

Hinc quiduis per Missam possunt efficere, & nunc sunt Missæ aureæ, nunc possunt ad suum arbitrium fortunæ imperare, victoria in prælijs, est in manu illius Missæ, satisfaciunt pro peccatis, illius operâ, & quid non potest illa Missa? neq; vlla pecunia sufficit ad satisfaciendum Missæ peste grassante. Nuptiarum tempore, tum in lætis & tristibus rebus Missa illa regnat, & sancto opere illo, se mereri iactant quicquid optatur. Semper pro illa præmium exigunt.

LIIX.

Hinc hoc impudentißimum mendacium existit: Missam tot mysterijs plenam esse, quot mare guttis, firmamentum stellis, sol atomis, cœlum angelis, terra arenis. Ac scholastici in hunc modum scribunt: Missa potest in-

tellıgi

telligi valere alicui in triplici gradu, scilicet specialissimè, generalissimè & modo medio seu specialiter.

LX.

Sed interrogo, quî factum sit, quòd de virtute hac Missæ, Apostoli nec sciuerint quicquam, nec Ecclesijs tradiderint? Nusquam enim legimus in Scripturis sacris, fuisse illis morem hunc pro viuis & mortuis sacrificandi, sed de fractione panis ac communicatione corporis & sanguinis Domini legimus, cùm de Sacrificio & applicatione Missæ, ne vna extet in Scriptura syllaba.

LXI.

Deinde & rogo? vt ipsi dicant rationem, quare diuitis mortui anima è purgatorio quod commenti sint, redimenda pluribus Missis opus habeat, quàm anima pauperis quam vnâ tantùm redimunt: Imò si non sit pecunia, ne vnâ quidem redimere curant? Vbi diues aliquis moritur, non est ara in templo, in qua non per vices sacrificetur, idq; non in funere tantùm, sed & septimis atq; tricesimis, imò & anniuersarijs, donec ab hæredibus numeretur, qui etiam ad numerandum coguntur, ne quæstus annuus ac perpetuitati consecratus intercidat. Et ex hoc fonte manauit innumera illa multitudo Sacredotum Missariorum, & fundationum. Et hinc quoq; factum est, vt qui vel ex rapinis, vel ex vsuris, aut alijs illicitis artibus diuites facti sint, mox atq; morte appropinquante conscientiæ suæ morsum experiuntur, inq; gehennæ metum incidunt, ad Missarum

rum patrocinium confugiant, certas Missas fundent, vt loquuntur, & Sacerdotijs annuis dotent.

LXI.

Ergo cùm ad hæc nihil subijcere poßint, nunc contra illos sic colligo. Nulli cultus diuini, nullaq́ Sacramenta virtute humana fiunt, vel aliquid valent aut impetrant, sed solo verbo, ordinatione ac mandato Christi. At Sacrificuli vocant Papisticam Missam priuatam, Dei cultum, sacrificium & Sacramentum, cùm tamen non habeat præceptum, neq; ordinationem, neq; institutionem, nec finalem Christi intentionem, sed est mera intentio & traditio humana, sine Dei verbo quæstus gratiâ introducta. Ergo Missa Papistica, non est Dei cultus, neq; sacrificium, & per consequens falsum est, tot eam impetrare, quot ipsi enumerant. Propositionem sic confirmo.

LXII.

Soli Dei verbo debetur prima fides, nemini enim cedit, sed est & manet verum in omnem æternitatem. At Missa priuata Papistica sine verbo & mandato Dei, à Papis & Monachis est inuenta & instituta. Ergo nullo modo credendum in Missa Papistica aliquid esse effectorum. Assumptio huius syllogismi omnium est certißima, quare ex ea tale colligo superpondium.

LXIII.

Si Missa priuata figmentum est humanum, vt iam ostendimus. Ergo in Missa priuata non solùm nihil est

effectorum, sed summus abusus & peccatum horrendissimum, tum ipsa substantia institutionis Christi penitus per eam sublata est, ac Christi ordinatio inuersa, & Antichristi ordinatio supposita est. Sed verum prius. Ergo & posterius.

LXIV.

Atq; hæc de Sacrificio Christi, eiusq; abusu in Missa Papistica hoc tempore consideranda erant. Quid superest nisi vt omnes & singuli abhorreant à Sacrificio Missæ solitariæ, quæ in calice aureo propinata, multos Reges terræ & populos sic inebriauit, sic percußit stupore ac vertigine, vt brutis ipsis stupidiores, proram & puppim salutis suæ in hac vna exitiali voragine statuerint. Certè nulla vnquam validiore machina Satan incubuit ad oppugnandum expugnandumq; CHristi regnum. Hæc est Helena, pro qua veritatis hostes, tanta hodie rabie, tanto furore, tanta atrocitate digladiantur: & verè Helena, cum qua spirituali fornicatione (quæ omnium est maximé execrabilis) se conspurcant. Deum oramus, vt has Ecclesias ab huiusmodi superstitiosis nundinationibus, blasphemia, idololatria, sacrilegio, singulari sua clementia, vti cœpit, ita in posterum seruare ac protegere velit, ad sui nominis gloriam.

Amen.

14

HAFNIÆ
EX OFFICINA MATTHIÆ
VINITORIS,
ANNO
DOMINI

M. D. XCII.

